+

Nobilissime Clarissimeque Domine.

Diu est cum eruditionem tuam suspexi, nec video, ubi compendiosius lucubrationes meas, quam apud te collocem. Rogo igitur ut hanc affectus mei tesseram habeas, eo pretiosiorem, quo magis tibi probabitur, quem scio ista amare impensius et expendere aequâ lance. Non semper infesti nobis erunt Franci: desperatio victoriae conditiones pacis tandem admittet: et humanitas illa tua singularis, jam altâ nitens pace, facit ut tecum ausim etiam de re domesticâ colloqui. Vacat in Sequanis praefectura arcis de Arguel, quam Joannis Comitis Nassauij beneficio filius meus Ferdinandus Ernestus per aliquot annos obtinuit: in alterum deinde collata est, et Ferdinandus meus vocantem Deum secutus à militiâ saeculi ad sacram transijt, atque ultro in Abbatiâ Villariensi D. Bernardi disciplinam amplexus est. Quare cum iterum praefectura vacet, mortuo interea ultimo possessore, optarem illam conferri in Philippum Eugenium, filium

155

V.C. D. Constantino Hugenio.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5229

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5229

meum natu majorem. Is est, quem Ecc.ma
Comitissa vidua Nassavia, pro sua in me
et meos benevolentia, commendat. Tua
interpellatio plurimum illi prodesse poterit,
quod tamen citra molestiam esse cupio,
nisi hac data opportunitate ostendere velis
aliquid etiam te mei causa facere velle,
in quam spem venio

'S RYKS
ARCHIEF

Doctrinae, eruditionis ac
famae tuae verus cultor
Joan. Jac. Chifletius

Bruxellis Cal. Jun.
1652.

156

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5229